Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Vitae Christi pars secunda - Cod. Aug. perg. 23

[Reichenau ?], [15. Jh.]

## Capitulum LXXXVIII

urn:nbn:de:bsz:31-41582

Visual Library

tunc fixa et immobilia manent et quieta et mirabili glorificatione immutata. Nam celum gloriam solis induet, sol luna et stelle vestientur ineffabili splendore. Unde Haymo: Tunc etiam complebitur id quod per Ysaiam predictum est: Erit lux lune sicut lux solis et lux solis septempliciter sicut lux septem dierum. Hoc enim post illum extremum iudicii diem erit cum scilicet celum novum ac terra nova fuit. Omnia namque que per spacium sex dierum creatus est deus propter hominem facta sunt et in eius lapsu omnia elementa detrimentum sustinuerunt. Nam ante terra spinas et tribulos non proferebat nec aer iste tante crassitudinis ut nunc sed purior erat. Hec etiam sol et luna et sidera sui luminis sustinuerunt detrimenta. In die vero iudicii terminato illo examine cum fuerint omnes reprobi una cum dyabolo conclusi in inferni sustollitur se dominus ihesus pariter cum corpore suo quod omnes electi sunt in celum. Et tunc sibi luna splendore solis mutabitur, sol vero septempliciter quam modo lucebit recipiet quod splendorem quem homine peccante amisit. Hec Haymo. Beatus gregorius quod celum et terra transibunt quantum ad formam sed non quantum ad substantiam. Unde augustinus: Elementa id est celum et terram non credas abolenda sed in melius commutanda. Figura mundi id est ymagine non substantia peritura. Unde et gregorius: Celum et terra per eam quam nunc habent ymaginem transeunt sed tamen per essentiam sine fine subsistunt. Celum igitur et terra et transit et erit, quoniam ab ea quam nunc habet specie per ignem tergitur et tamen in sua semper natura servatur. Unde per psalmistam dicitur: Mutabis ea et mutabuntur. Hec gregorius. Quod autem innovari id est pulchriore mundicie decorari debere ostenditur triplici ratione. Primo quia sicut dignum fuit quod elementa purgarentur pro eo quod infecta erant propter peccatum hominis ita dignum est ut mundus innovetur propter glorificationem hominis et hominis beatorum (innove) ut homine glorificato aucta etiam creatura innovetur cum eo. Secundo ut creature remunerentur pro labore quo homini servierunt. Tercio ut totus mundus per hoc speculum deum cognoscat. Unde oportet in futuro speculum purgari et meliorari quia in pulchritudine creaturarum amplius resultat species creatoris. Hoc autem non est ad necessitatem ut deus per creaturas videatur sicut modo sed ad iocunditatem ut videlicet iocunditati visionis intellectualis addatur delectatio visionis sensibilis.

Oratio

Ihesu benignissime qui per immensam bonitatis tue pietatem ad emendacionem me expectas, da michi misero ut in presenti me discutere et diiudicare ac omnia que tibi displicent vitare et que tibi placent implere valeam, sic quod tibi placitus et gratus fiam, quatenus in futuro iudicio cum electis tuis a dextris positus te propicium et placatum intuear et a patre tuo regnum percipiam tuum desiderabile, ad quam suspiro perhenniter fruiturus presencia. Ihesu clemens, meum desiderium, premium et vita. Amen.

## De pena inferni et gloria celesti capitulum lxxxviii

Finale vero iudicium sequitur pena inferni et gloria celi. De pena infernali est sciendum quod cum in dampnatis sit diversitas peccatorum erit et diversitas penarum. Cum enim in peccato sit aversio a creatore et conversio ad creaturam scilicet ad bonum commutabile spreto bono incommutabili scilicet deo et deordinatio voluntatis contra institutum rationis, merito pena variabitur propter ista. Unde propter aversionem erit carentia visionis dei, sed propter conversionem erit pena materialis ignis vel [illegible], propter inordinationem autem rationis et voluntatis erit pena universi que consistit in afflictione varia acerba et eterna. Ibi enim erit calor ignis, rigor frigoris, te-

nebre fumus lacrime metiores. aspectus de-
monum clamor impetum mallei percutientium.
serpentes et dracones. ariditas sitis fetor
sulphuris vermis conscientie vincula carcer.
timor dolor pudor et confusio peccatorum di-
bus penitentium inuidia rancor tristitia ca-
rentia diuine visionis ablatio spei omnis sa-
lutis ipsum esse quod omnis creatura appetit pec-
cis est quia querent mortem naturalem et non in-
uenient Nam quod homo in suo eterno peccauit i. quam-
diu vixit nec voluntas eius sine peccandi ha-
buit ideo iuste in eterno ● dei et eternaliter
punietur Unde greg. Ad districti iudicis iusti-
ciam pertinet ut numquam careat supplicio quorum
mens in hac vita numquam voluit carere peccato
et nullus detur iniquo terminus ultionis qui quam-
diu valuit habere noluit terminum criminis
Et iterum Iniqui cum fine deliquerunt quia
cum fine vixerunt Nam voluissent utique
si potuissent sine fine viuere ut possent sine
fine peccare dum viuunt Iustum est igitur ut
numquam careant supplicio qui numquam voluerunt
carere peccato hec greg. Unde et aug. Factus
est autem homo malo dignus eterno qui hoc
in se perimit bonum quod esse posset eternum Et
ut ait ber. iuste profecto si peccat patitur
quod non vult qui non peccat nisi velit Vi-
debunt etiam dampnati se inuicem non ut inde
consolentur sed ut magis torqueantur Unde greg.
Quamuis illis ignis ad consolationem non luceat
tamen ad aliquid ut magis torqueat lucet Hos
quippe quos reprobi nunc inordinate dili-
gunt secum tunc in tormentis videbunt
ut penam proprie punitionis exaggeret carna-
lis cognatio auctori sui posita pari ante oculos
ultione dampnata Unde et ysidorus Ignis
gehenne lucebit miseris ad miserie aug-
mentum ut videant unde doleant non ad con-
solationem ut videant unde gaudeant Et ber-
nardus super ihero. Tanta erit in inferno vis
doloris quod mens ad aliud dirigi non potest
nisi ad quod vis doloris impellit Et si singulis
diebus quibus erunt dampnati in inferno
vna lacrima naturalem emitterent plus corum
aque per processum temporis ab vno dampnato
quam omnia vasa huius mundi caperent immo plus
quam omnia maria aque continerent Super omnes
autem penas inferni est carentia visionis dei
qui mali non tantum dolebunt de ipso tormento
quam quod repellentur a tali consortio Unde Criso. Ho-
mines multi ignorantes putabant sibi esse satis et op-
tabile videri si gehenna tantummodo careat ego
autem multo grauiores quam gehennam dico esse
cruciatus commoueri et abici ab illa gloria ex-
cludi a bonis que preparata sunt sanctis tantum generat
cruciatum et tantum dolorem ut etiam si nulla
pena extrinsecus torqueret hec sola sufficeret
omnis igitur gehenne superat cruciatus Et iterum
Et videtur quidem vna tantummodo pena esse co-
buri Sed si vero aliquis diligenter attendat duo
hic inuenit esse supplicium Qui in gehenna
vritur celorum regnum prorsus amittit que
certe pena maior est quam cruciatus ille flam-
marum Noui autem quod plurimi solam pertimes-
cant gehennam ego tamen illius glorie amis-
sionem multo amarius quam ipsius gehenne dico
esse supplicium Intollerabilis quidem res est
gehenna et supplicium illud horribile Tamen
si aliquis mille ponat gehennas nichil tale
dicturus est quale est. a beate illius glorie
honore repelli exosum quoque esse christo et audire
ab illo Non noui vos atque vultum illum
mansuetudinis pietatis que plenum nos tamen
aduersantem videre et illos totius tranquilli-
tatis oculos nequaquam nos aspicere sustinentes
Sed nequaquam istud patiamur o vnigenite fili dei
viui neque experiamur intollerabile illud hor-
rendum que supplicium hec Criso. Unde et aug.
A regno dei excludi et a ciuitate dei alienari
a vita tamen tam grauis est pena ut ei nul-
la possint tormenta que nouimus comparari hec
et gregorius nazanzenus Nos quam qui regno

celorum indigni reperientur est enim ac-
cerbior maior pena quam a deo procedent et pu-
dor et confuſio conſciencie cuius finis ac remedium
nuſquam erit hec greg. Vel pena dampni eſt
grauiſſima quod paruuli puniuntur pena grauiſ-
ſima quod eſt contra aug. ſecundum quem pena e-
orum eſt mitiſſima Dicendum quod pena dampni
per conſiderari velut eſt ſubtractio tanti boni
cum ſenſu et merito ſubtractionis et ſic grauiſ-
ſima vel ſine ſenſu et merito et ſic eſt mi-
tiſſima De nobis quod de hiis malis non cogita-
mus ſi qui ſecuri torpentes et cum curis neglige-
tes ad hec ſine ceſſatione properamus Poſt-
mo de gloria celi ſciendum eſt quod tot et tanta
ſunt in celis gaudia quod omnes ariſmetrici
huius mundi non poſſent ea enumerare omnes
geometrici non poſſent ea menſurare omnes
gramatici dyaletici rethorici non poſſent
ea ſermonibus explicare quia oculus non
vidit nec auris audiuit nec in cor hominis
aſcenderunt que preparauit deus diligentibus
ſe Gaudebunt quippe ſancti ſupra ſe de dei
viſione infra ſe de celi et aliarum creaturarum
corporalium pulchritudine intra ſe de cor-
poris et anime glorificacione iuxta ſe de angelo-
rum et hominum aſſociacione In tantum namque gau-
debit quiſque de bono alterius ſicut de bono
proprio quod tamen intelligendum eſt non de gau-
dii intenſione ſed de gaudiorum numero Ibi eciam
ſinguli a ſingulis agnoſcentur et videbit v-
niſquiſque cogitaciones alterius prout vult quia
ut ait greg. vnuſquiſque mentem ab alterius o-
culis corpulencia non abſcondet Videbunt
itaque iuſtos ut gaudeant videbunt quoque penas
reproborum ut de periculorum euaſione gratias
agant Videbimus ibi deum in ſe deum
quoque in nobis et nos in deo et deum in crea-
turis et creaturas in deo Ibi erit deus omnia
in omnibus id eſt ſecundum aug. erit quecumque ab om-
nibus deſiderantur et vita et ſalus et copia
et honor et pax et omnia bona Vnde ſecundum

gregorium Tam ineſtimabilis pulchritu-
dinis eſt ut angeli qui ſolem ſepties ſua vi-
cunt pulchritudine inceſſanter in eam deſident
inſaciabiliter proſpicere Ibi eciam ſecundum aug.
Senſus hominis interior reficietur in contemplacione
diuinitatis et ſenſus exterior in contemplacione
humanitatis quia propterea deus homo factus eſt ut
totum hominem in ſe beatificaret Deus omnes
ſenſus ſpiritualiter et ineffabili delectacione reficiet
cum ipſe obiectum omnium ſenſuum ſit futurus E-
rit namque deus ſpeculum viſui cythara audi-
tui mel guſtui balſamum olfactui flos tac-
tui Ibi erit candor lucis eſtiualis amenitas
vernalis habundancia autumpnalis et quies
hyemalis Illa beatitudo ſecundum aug. in duobus
conſiſtit ſcilicet in nec[e]ſſaria preſencia omnis boni et in
neceſſaria abſencia omnis mali Et breuiter ſecundum
aug. et greg. tanta eſt ibi pulchritudo
iuſticie tanta iocunditas lucis eterne ut eciam
ſi non liceret in ea amplius viuere ſeu manere
quam vnius diei mora propter hoc ſolum innumerabiles
huius vite dies pleni deliciis et circumfluen-
cia temporalium bonorum recte merito contempnerentur
Non enim falſo aut paruo affectu dictum eſt
quia melior eſt dies vna in atriis tuis
ſuper milia Hec autem vita eterna conſiſtit
in ſtola anime et corporis Stola anime conſiſtit
in tribus dotibus eius ſcilicet in manifeſta cog-
nicione ſumme trinitatis que ſuccedit fidei in per-
fecta eius fruicione que ſuccedit ſpei in per-
fecta eius dileccione quia non euacuabitur
ſed perficietur caritas ipſius dei Stola autem
corporis in quatuor dotibus eius conſiſtit
ſcilicet in claritate inpaſſibilitate ſubtilitate
et agilitate Dotes anime ſunt de primo
ſubſtanciali dotes corporis de primo acci-
dentali Prima quam dos anime eſt cognicio
que et viſio dicitur qua diuina eſſencia vi-
debitur ab omnibus tota ſed non totaliter pro-
ut eſt infinita Videbitur tamen eſſencia diuina
limpidius ab vno quam ab alio in meritum vnius

magis erit perfectus lumine glorie quam alter
Et sic iste defectus erit ex parte videntis quia
idem erit visum ex parte cuius cum sit simpli-
cissimum nulla potest esse diversitas Tribus
autem modis cognoscitur aliquid scilicet quod est ut
sicut est vel quia est Primo modo cognoscitur
deus in via etiam a malis Secundo modo vide-
bitur in patria a bonis Unde Ioh. Similes ei
erimus quoniam videbimus eum sicuti est id est ma-
iestatem claritate bonitate et cetera Tercio
modo neque a bonis videbitur neque a malis
neque in via neque in patria quia finitum numquam
capiet infinitum Secunda dos anime est
dilectio sed inter dilectionem virtutis et inter di-
lectionem dotis est differentia quia virtus proprie
est illud quod transit de statu gracie in sta-
tum glorie dos autem quod super meritum datur
in ductione sponse Fides et spes secundum rem eva-
cuabuntur in patria caritas vero neque secundum
rem neque secundum actum eius evacuabitur sed secundum
modum solummodo quia imperfectio tolletur
Unde dicit Aug. quod fidei succedit species qua
videbimus spei succedit beatitudo ad quam
perventuri sumus sed caritati nichil succedet
quia potius augebitur Tercia dos dicitur compre-
hensio que est tencio visi et amati et sum-
itur hic comprehendere pro contingere et am-
plecti divinam maiestatem vel immen-
sitatem Dicitur etiam a quibusdam appellatur in-
hesio a quibusdam fruicio Sunt ergo tres iste
beatorum perfectiones proprie scilicet visio inobfus-
cabilis dilectio infastidibilis tencio inamis-
sibilis Prima dos corporis est claritas
Sed dicitur aliquid clarum dupliciter vel quia purum
sicut dicitur vitrum clarum aut quia lucidum
sicut dicitur stella clara Corpus autem glori-
ficatum et erit purum et lucidum et ideo u-
troque modo erit clarum Et erit corpus
clarificatum septies tam clarum sicut modo
est sol et anima septies clarior corpore erit
que corpus velud vestimentum suum veidu-

ens per omnia membra corporis velud sol
per cristallum lucebit Sed corpora sanctorum
non equaliter erunt clara quia melior anima
corpus lucidius habebit Secunda dos corporis
est impassibilitas que resultat ex virtute
anime sive corpus potenter continentis ita ut
a nullo exteriori agente valeat immutari
Unde si etiam corpus glorificatum poneretur in infer-
no non sentiret ex hoc lesionem in aliquo Ter-
tia dos corporis est subtilitas que est ex per-
fecta victoria forme supra materiam et aufert
grossitiem corporis que est ex composicione elemen-
tarium qualitatum Et est sciendum quod sicut duo
corpora non glorificata non possunt esse simul in
eodem loco sic nec duo glorificata alioquin
in uno corpore glorificato esset potencia agen-
di et intrandi partes corporis alterius et
in alio vero esset impotencia resistendi Cor-
pus vero gloriosum potest simul esse in eo
loco cum corpore non glorificato quia potest
illud penetrando subintrare manente distinc-
tione dimensionum corporis utriusque Quarta
dos corporis est agilitas que secundum Aug.
tanta erit subdita voluntati et ideo mo-
vebitur corpus ad imperium spiritus Decenter si-
cut melior anima corpus habebit luci-
dius sic et agilius ita tamen quod voluntas
sanctorum erit recta omnino racioni et ideo vo-
luntas eorum numquam appetit quod non debet
quia ut ait Aug. nec volet aliquid spiritus quod
nec spiritum possit decere nec corpus Quidam
insuper specialiter habebunt aureolam
que est mentis speciale gaudium et corporis
singularis decor veniens ex opere excellenti
et privilegiato scilicet martirio virginitate
et predicatione ut sit aureola non tantum
principaliter sit in mente sed per quandam re-
dundantiam fulgeat etiam in carne Aure-
ola diminutive dicitur in comparacione ad
auream et ideo non quod inter auream et au-
reolam et palmam est differentia Aurea

Nam est premium substantiale quod metha-
phorice dicitur corona / tum ex parte merit
quia non respondet gracia operi sed radici caritatis tum
ex parte premii quia per hoc efficitur homo parti-
ceps deitatis et per omnis regie potestatis tum
ratione perfectionis quod significat figura circu-
laris Aureola vero est premium accidentale
non tamen quodlibet accidentale sed illud quod respon-
det operi excellenti scilicet martirio virginita-
ti et predicationi Palma autem est premium
accidentale quod nec radici nec operi de-
betur sed voluntati Tale premium habuit sanctus
martinus et multi alii qui desideraverunt
martirium licet opus non fuit subsecutum
quia et si gladio persecutoris occisi non sunt
palmam tamen martirii non amiserunt
Nec autem palma nec aurea dicta debetur nec
aureola Patet autem quod martiribus ac vir-
ginibus et predicatoribus debetur aureola Un-
de versus sunt isti Aureolam sic ferre volam
fore virgo studebo Martirium vel subibo
pium populos vel docebo Et iterum Aureolam
martir doctor virgo quia meretur Anshel-
mus vero ponit vii bona corporis et vii bona anime
que habebunt in celestis patrie beatitudine
et primo ponit bona corporis que sunt pul-
chritudo fortitudo libertas sanitas volup-
tas eternitas dicens In illa igitur vita pul-
chritudo iustorum solis pulchritudini que
se contemplatur quamvis modo sit speciosior erit ad-
equabitur Gradinos divina scriptura testatur
fulgebunt iusti inquiens sicut sol in conspectu
dei Velocitas nos tamen commutabit ut ipsis an-
gelis dei eque celeres simus qui a celis
ad terras et a terris in celum dicto citius
dilabuntur Cuius quanta velocitatis ex in ra-
dio solis licet intueri qui statim orto sole
in plaga orientali pertingit in ultimo pla-
ge occidentalis ut in eo pendant non esse
impossibile quod de mea dicimus futura
velocitate presertim cum rebus animatis

solent inesse maior felicitas quam inanimatis
Prestabunt viribus quatenus meruerint
supernis civibus associari in tantum ut nullatenus
illis obsistere quicquam valeat vel si movendo
aut evertendo voluerint quod a suo statu quo-
modocumque divertere non illico cedat Nec in eo quod
dicimus maiori conatu laborabunt quam nos mo-
do in motu oculorum nostrorum Nec queso credat aliquis
quod adipiscentium angelorum similitudo quantum
se hic aut hiis que dicuntur sumus aliud ex-
emplum non occurrit ipsa occurrat atque
in quibus angelos valere constiterit etiam
nos eque valere probet et asserat Cum
autem igitur angelorum fruuntur similitudine asse-
cuti eorum quam libertatem necessario assequitur
Itaque sicut angelis nichil obsistit nec aliquid
eos impedire vel constringere potest quin pro vel-
le suo cuncta liberrime penetrent ita non
erit obstaculum ullum quod nos retardet
nec claustra que nos detineant nec elementum
quod nobis ad velle parum obsistat De sa-
nitate quam melius dici potest quam quod psalmis-
ta canit salus inquiens iustorum a domino
Omnibus autem sunt a domino vera sanitas que
subripere potest infirmitas Credendum et incunctanter
astruere licet sanitatem vite future ita inge-
et incommutabilem ac inviolabilem fore ut inef-
fabili quadam atque sensibili suavitatis dulce-
dine totum hominem repleat et omne quod a-
liquo instrumento infirmitatis mobilitatis aut lesio-
nis suspicionis prestare queat procul arceat atque
repellat In illa futura vita inestimabilis de-
lectatio quedam bonos inebriabit et dulce-
dine sua totos eos inestimabili exundantia sa-
tiabit Quid dicam totos Oculos aures nares
os manus pedes guttur cor iecur pulmonem os-
sa medulle ex ea etiam ipsa et cuncta singil-
latim singula que membra eorum in tam ta-
mirabili delectationis et dulcedinis sensu com-
plebuntur ut vere totus homo torrente volup-
tatis dei potetur et ab ubertate domus eius

inebriet. Quid si hec bona sunt adeptus non intelligo ad quid pro commodo corporis sui ulterius porrigatur affectus. Solummodo assit ei quod cunctos appetere dixi[mus]: diuturnitas vite si ista illi minime deerit quod nisi in perpetuum ouerit. ¶ Sunt eciam alia que quidem hiis que digessimus non minus anima tur si ad animam sicut illa ad corpus conferunt que interiori in septenario numero constituta non modicum placent menti que ipsorum fuerit sapore imbuta. Sunt autem hec sapientia amicitia concordia potestas honor securitas gaudium. Sapientia igitur tanta in futura vita bonis erit ut eorum que scire voluerint nichil sit quod ignorent. Scient enim cuncta que sciendi fecit deus tam ea que preterita quam que huius seculi sunt futura. Ibi a singulis omnes ibi ab omnibus singuli cognoscentur nec quemquam omnino latebit qua patria qua gente qua stirpe quis editus fuit vel quid in vita fecerit. Amicitia in tantum erit singulorum intima ergo singulos suo fervore complebit ut amor tuus quo in quemque sufficiat tuique presertim cum omnes unum corpus sint Christi et Christus qui est pax ipsa sit omnium caput nec minori se affectu complectentur quam membra unius corporis sibi invicem complantur. Amabis igitur omnes ut teipsum et amaberis ab omnibus ut ipsi a se. Divitias habundans eris in dilectione quando hoc est fuit in possessione. Deum ipsum tunc si et contemplare ipsum per quem hec bona tibi provenere et perspicies quod ille plus quam tu ipse et quam omnes alii incomparabiliter amabit te et tu super teipsum ineffabili quadam suavitate illum amabis. Erit itaque tanta in cunctis concordia ut in nullo sentias aliquem discrepare ab eo quod te constituit velle. Corpus unum erimus etiam una erimus sponsa Christi erimus quotquot ibi erimus. Non ergo maior inter nos discordia erit quam nunc est inter unius corporis membra. Veru-

num videre in motu oculorum quod illuc quo unus vertitur mox alius sequitur ita quocunque tuum velle converteris velle omnium sine discrepatione illico tibi presto habebis. Quid dicam omnium: ipsa dei voluntas non erit a tua diversa sed sicut tu quod ille ita et ille quod tu, tu quod tu. Caput namque a suo corpore nunquam discreparet. Cum itaque deum et omnes voluntati tue concordes habueris profecto nichil voles quod non possis. Omnipotens igitur eris tue voluntatis quia ipsum omnipotentem habebis in omnibus concordantem tue voluntati. Itaque cum hec tibi tanta potestas affuerit honor competens potestati minime deerit. Igitur dum possessione horum bonorum que digessimus fulcio sueris nonne sufficiens tibi videberis maxime in quibus itaque cum tua vita in perpetuo duret in illa vita et hec omnia tibi sunt securitas quod ea amplius non perdendi ubi arripit. Obsecro quod existimas tibi erit. Decursus igitur tantorum bonorum perpetuo eris nec aliquem tibi adversari volentis in cursu timebis. Potest ne quod illius gaudii modus a quoquam homine penetrari cum ultra mille milia et decies centena milia innumerabiles ibi sint et omnes eadem beatitudine perfruantur nec nullus eorum sit qui non tantum de bono alterius gaudeat quantum de suo. Preterea videntes deum ipsum super quam ipsi se amabunt ipsos amantem et intelligentes se inenarrabiliter plusquam semetipsos illum amare in gloria eius mira et ineffabili exultatione exultabunt. ¶ Cum igitur iusti fuerint tanta felicitate beati restat ut iniusti per contrarium sint inestimabili quadam infelicitate miseri. Erit enim istos immo pulchritudo velocitatis fortitudo libertas sanitas voluptas alacres faciet et iubilantes ita illos inanis et inestiabilis feditas tarditas imbecillitas servitus languor atque dolor merentes reddet et eiulantes

Quare diuturnitatem uite quam isti proferendis bonis summo amore complectentur illi pro
inestimabili pena qua torquebuntur summo
merito illis summo odio execrabuntur. De sa-
pientia uero quid dicam non inuenio nisi
quia sicut iustis erit in gaudium et honorem
ita iniustis quod sciunt in merore et confusi-
onem. Amicicia autem qua inuicem pro summa
iocunditate copulabuntur si qua impiis e-
rit in tormentum eis erit. Quo enim magis
quosque amabunt eo grauius in eorum pena
dolebunt. Discordiam habebunt cum omni
creatura et omnis creatura discordabit ab
illis. Hinc quod pro potestate bonorum tanta
impotentia eos sequetur ut omnino nihil eorum
que uoluerint possint et quod que habuerint
nolint. Igitur pro honore sanctorum obtine-
bunt perhenne obprobrium. Et hec quoniam sic
clauduntur. Vere sicut amici dei sciunt erunt
se nunquam amissuros bona sua ita isti inimici
dei omnino desperabunt se iam amplius perditu-
ros hec mala sua pro eterno quod et ineffabili
gaudio beatorum hereditabunt inrecogitabilem tris-
ticiam omnes qui pro impenitudine reatus sui
transituri sunt in societatem demoniorum
hec aug. Sunt etiam in inferno sicut et
celo diuerse mansiones meritis singulorum
correspondentes. Unde Criso. dicit in regno
celesti multe mansiones sunt id est differencie
premiorum sic et in gehenna diuerse sunt ma-
siones id est differencie suppliciorum. omnes tamen penam
eternam sustinebunt sicut omnes electi denarium
eundem habebunt que pater familias dabit omnibus
qui scilicet in uinea operati sunt. In hoc quippe
denario aliquid omnibus electis commune intelligitur
scilicet uita eterna deus ipse quo omnes quidem eterna
scilicet impariter fruentur. Nam sicut differens erit cla-
rificatio corporum ita differens erit gloria anima-
rum. Stella enim a stella id est electus ab electo
differt in utraque uidelicet mentis et corporis
claritate. Alii minorum aliis euidencius
que speciem dei contemplabuntur et ipsa con-
templandi differentia mansionum diuersitas
notatur. Una igitur est domus id est denarius
sed diuersitas est ibi mansionum id est differencias
claritatis in beatitudine que unum est ac
summum bonum et uita omnium. hec Criso. Unde et
aug. Quod autem ibi futuri sint pro meritis
premiorum etiam gradus honorum atque gloriarum mul-
latenus est ambigendum. Atque id etiam beata illa
ciuitas magnum in se bonum uidebit quod nulli
superiori nullus inferior inuidebit tam nollet
unusquisque esse quod non accepit quam nec in
corpore uult esse oculus qui est digitus.
Sic itaque habebit donum alius alio minus
ut hoc quod donum habeat nec uelit amplius
hec aug. Possumus et diuersas mansiones
omnium electorum sumere secundum choros angelorum ad
quorum ruinam restaurandam homo est cre-
atus. Nam enim de singulis choris aliqui
angeli ceciderunt et in tanto numero quod unum
per se fecissent ideo dicitur decimus chorus cecidisse et ideo ruina cuiuslibet chori debet per elec-
tos homines reparari

## Oratio

Domine ihesu christe michi fragili con-
cede ut inter diuersas huius uite dul-
cedines corpore uiuens mente in infernum
descendam et penas peccatoribus paratas
considerans et meditans magis sollicite a
peccatis caueam ne moriens illuc descendere
et penas ipsas experiri compellar. Da etiam
michi domine inter multas huius uite amari-
tudines diuine dulcedinis miniare et ad eter-
nam beatitudinem suspirare illuc quoque mentem
tenere et fac ut semper tibi adhereat nichil
preter te diligam nichil queram nichil etiam
cogitare concupiscam et tandem ad te deum
et dominum meum perueniam

## Conclusio libri et signacio

Habes igitur ex parte uitam domini
nostri ihesu christi qualitercumque descrip-
tam et pro magna parte me-
ditacionibus tibi traditam in qua
et per quam nos miseros mun-